

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Hippolytus Wesel a Joachim Fabricius

**Autoritate & permissu ... ICtorum ordinis ... Rostochiensis Academiae Hasce De  
Homicidio Voluntario, Casuali Et Necessario Controversias Praeside ... Dn.  
Hippolyto a Wesell I. U. D. Publice discutiendas proponit Joachimus Fabricius  
Stargard. Pom. : Habebitur disputatio in Acroasi Magna 5. Decemb. ...**

Rostochii: Literis Reusnerianis, 1607

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn72831908X>

Druck Freier  Zugang



RU jurist. 5. Dez. 1607

a Wesell, Hipp. /a



8  
71/15  
71  
**DEO DUCE ET  
AUSPICE**

*Autoritate & permisso Amplissimi & No-  
biliſſimi Jſtorum ordinis inclutæ ac floren-  
tissimæ Rostochiensis Academiae*


**HAS C E**  
**D E H O M I C I -**  
**D I O V O L U N T A .**  
RIO, CASUALI ET NECES-  
SARIO CONTROVER-  
SIAS

PRAE SIDE  
CLARISSIMO ET CONSVL-  
TISSIMO VIRO  
DN. HIPPOLTTO à WESELL  
I. U. D.

*Publicè discutiendas proponit*  
**JOACHIMUS FABRICIUS**  
Stargard. Pom.

*Habebitur disputatio in Acroasis Magna s. Decemb.  
initio ad horam 7. matutinam facta.*

**ROSTOCHII**  
Literis Reusnerianis, Anno 1607.





**N**ihil occurrere potest, quod judicantis conscientiam ita tangat & arctet, quam de homicidio inter crimina gravissimo cognitio: si enim in defectu peccet maleficos condigna non efficiens poena Remp. loedit & bonis nocet: sin vero in excessu, innocentem condemnans & graviori, quam pareat, poena adficiens, semper conscientiam graviter loedit & vulnerat. Ideoq; operæ pretium esse duximus, præcipuas ejus materiæ quæstiones ad disputandum proponere, ut ita veritas inquiretur, & inventa ad usum accommodari possit.

### THESSIS I.

*Omicidium describitur, quod sit hominis, cuius sit ætatis, cædes.*

#### I.

*Et vel est voluntarium, vel sine voluntate admissum.*

#### III.

*Voluntarium homicidium dolum requirit. In dubio autem præsumitur dolus, nisi insultatus insultantem occiderit: tunc enim et si moderamen inculpata tutela excederit, deq; excessu illo consticerit, dolus non præsumitur, sed probandus est.*

#### IV.

*Voluntarium homicidium hodiè pœnâ gladij & sanguinis vindicatur, & hâc pœnâ tenentur homicidae, si ve nobiles sint si ve ignobiles, neq; gaudere regulariter possunt ecclesiastica immunitate, etiam si ad eam confugiant.*

A 2

s. Et.

V.

*Et nihil interese, ut quis pro homicida habeatur, utrum occidat, an mortis causam præheat. Quocirca is ceu sicarius non immerito tenetur, qui alteri mandavit, ut homicidium committeret.*

V I.

*An vero etiam mandans eadem teneatur pœnâ, si mandatarius alias homicidium fuissest perpetratus? ardua est quaestio: nobis negativa placet.*

V II.

*Similiter intricata & admodum difficilis est disputatio: uerum mandans hominem vulnerari tantum, & protestans ne mandatarius occidat, etiam ordinariâ homicidiâ pœnâ sit afficiendus, si mandatarius fines mandati excedens illum interficerit? quod licet multi affirment, nos tamen in benigniorem contradicentium sententiam non in viti concedimus.*

VIII.

*Nec minus gravis & controversa est illa quaestio: Si vulnerans animum habuit occidendi, non tamen occiderit, an mortis pœna affligi debeat? negativam tenendam censemus.*

IX.

*In paricidio tamen conatus ad actum proximus, quamvis perfectus non fuerit ferro punitur.*

X.

*Elegans quoque est dissidium, si plures in rixa homicidium committant, num omnes ultore ferro puniendi? Quod distinctio-  
nis fædere decidendum autem amamus.*

XI.

*Quia autem voluntatem sive dolum & animum occidendi  
bic requirimus, non inconciuè disputatur & controvertitur,  
si in genere reperiatur, in specie tamen non adsit dolus, ut V.G.  
Titum inimicum suum interficere volens, non eum, sed alium  
amicum*

amicum suum interfecit, an locus sit ordinariae homicidij pœna? ita sane multi opinantur: verum magis est, ut hoc casu negemus.

## XII.

Videtur & illa ancipitis juris quaestio: si quis dederit posculum amatorium vel abortionis, & recipiens inde moriatur, an ordinaria locum habeat? ita statuere & legum & communis opinionis autoritas nos cogit.

## XIII.

Quin imò et si non hominem occidat, sed partum hominis animatum, ordinariam sibi locum vendicare putamus.

## XIV.

Sed an qui liberos exponunt, ac omnium rerum inopia quæsi perire sinunt, lege Cornelij teneantur? sub distinctione respondebimus.

## XV.

Medicus quoq; & chirurgus artis sua peritiam professus, fudexq;, si ejus culpa quis pereat, homicidij reus videtur, puniendus tamen est non corporaliter sed arbitrariè, nisi malitia se agrorum destituerit, aut dolus ejus arguatnr.

## XVI.

Citra voluntatem admissum homicidium, aut est casuale, aut necessarium sive coactum.

## XVII.

Casuale dicitur quod præter occidentis, sive culpa intervenierit, sive non intentionem fit, & pro ratione circumstanciarum & culpa vel veniam meretur, vel punitur.

## XVIII.

Hoc interdum facile à patre filium, præceptore discipulum, marito uxorem, domino mercenarium castigante committi potest, & ex genere instrumenti & loci per cuius qualitate colligitur.

A 3

19. Nov.

## XIX.

Nobilis gravisq; & huic loco convenientis est quæstio: num  
is, qui cum velle cædere Sempronium, errore quodam in perso-  
na commissso exanimavit Titum, ut casualis homicida extra  
ordinem pumendus sit? illud vix defendi posse maximè in pro-  
ditorio & deliberato homicidio putamus.

## XX.

Illud indubitati juris est, quod homicidium in ludis, vel  
colluctationibus & torneamentis, virtutis prospiciendæ &  
excendæ causa à Principe concessis, vel usu & consuetudine ap-  
probatis, non proditoric & nefariè commissum penam nullam  
mereatur.

## XXI.

Eum quoq; qui lapidem in aliquem coniiciens ipsum inter-  
ficit, animum occidendi in dubio non habuisse, præsumi, ideoq;  
non ordinariae pœnæ sed mitiori subiiciendum esse, humanius &  
benignius est.

## XXII.

Coactum homicidium, quod quis ad sui defensionem com-  
mittit, omnino est impunibile: injuriam enim & vim pro-  
pulsare omnijure licitum est.

## XXIII.

Adeò, ut nec irregularis fiat, nec pro peccato publi-  
cam pœnitentiam agere cogendus sit, qui ad sui defensionem a-  
liquem occidit.

## XXIV.

Moderamen tamen de jure gent. & civ. servari debet.

## XXV.

Sed hoc moderamen, an in armorum æquabilitate consistat?  
controversi solet: quod negamus, eumq; qui sine armis resistere  
nequit, etiam adversus offendentem & arma non habentem ar-  
mis uti posse & sic non tam in armis quam in ipsa propulsione  
moderamen hoc cnsistere existimamus.

26. Id-

## XXVI.

Iacireò, si quis te ense, vel hastâ, vel pugione aggreditur; qui illi inermis ruderis, cum nulla apparentia arma, sed tantum bombardulam in caligis occultam habes: si te in vita periculum conjectum animadvertis, non immerito bombardulam proferre & arripere, aggressoremq; tuum globo traijcere poses.

## XXVII.

Et maderamen inculpatæ tutelæ omnes æquahili vultu aspicit, & indistinctè omnibus tam plebeis quam nobilibus conceditur, & contra omnes, cujuscunq; dignitatis, tam nobiles quam plebejos, imò contra ipsum Imperatorem patrem, & fratrem.

## XXVIII.

Sed an prior ictus expectari debeat? dubitari solet: communiter receptum est, minas etiam sufficere, & justum armorum terrorem.

## XXIX.

Quid si insultatus, qui fugiendo absq; vi armata ab aggressore se defendere poruit & tamen non fugit, sed vi armata resistendo, eum interemerit, an excusari homicidium possit, quasi cum moderamine inculpatæ tutelæ factum sit? Et magis est, ut excusari possit,

## XXX.

Nam non solum ignominiosum est, & turpe, sed etiam perniciuosum, fugæ se dare, suamq; salutem, instar leporis, pedibus committere, ac adversario nudum & inerme tergum relinquere.

## XXXI.

Et non solum nos ipsos, sed etiam alios, siue sanguine & affinitate iunctos, siue prorsus extraneos defendere licet.

## XXXII.

Adeo ut si occurrentes in oppressi amici vel sanguine aut affinitate junci vel alterius cuiuslibet auxilium, aggressorem adhibito moderamine peremerint, puniendi non sint.

A 4

Illud

### XXXIII.

Illud autem propter varias Dd. opiniones ambiguum & obscurum est: an quis alteri in periculo mortis constituto succurrere tenetur? quod omnino fieri debere saltem eo casu quo id commodè fieri possit, concludimus.

### XXXIV.

Multò magis igitur filius patri, subditus magistratui, servus domino, & econtra pater filio, magistratus subdito, dominus servo succurrere tenetur.

### XXXV.

Nec tantum vitam naturalem quis defendere potest, sed etiam vitam civilem, bonam nempe famam: ut enim natura litter non vivimus sine sanguine; ita civiliter sine bona fama vivere non credimur. Vnde bonam famam non minus quam vitam defendere licitum est.

### XXXVI.

Hæc autem fama & existimatio nostra, si verbis injuriosis violatur, an per vim defendi possit, adeo, ut convitiis lacescens ob honoris sui defensionem alium occidere queat? acriter interpp. inter se digladiantur: Negantium patrocinium suscipiemus.

### XXXVII.

Honestata tamen virgo vel matrona pro defensione attaræ pudicitiae violentum stupratorem licet occidit: siquidem virginitas semel amissa à nemine, adeoq; nec à magistratu restaurari possit.

### XXXVIII.

Sed utrum provocatus, si in ædibus aliove loco tuto comoretur, ad duellum vel certamen provocanti honoris sui defendendi causa comparire debeat? utiliter queritur: & non posse eum, nec debere id facere, juris suadet autoritas.

Nihil

### XXXIX.

Nihilominus vero si injuriatus ad violentam defensionem progreditur, & forte injuriantem in ardenti pugna interficit: non idcirco homicidij ordinariâ pœnâ, sed extra ordinem mitius puniendus erit.

### XL.

Imò de consuetudine Nobilis à Nobili vel ab alio honorato injuriatus & provocatus comparare tenetur, & si compararet provocantemq; occidat, venia dignus videtur omnino.

### XLI.

Quod si Mediator se inter defensorem & aggressorem interponat, & defensoris gladium vel manum arripiat, atq; teneat ne se contra aggressorem tueri queat, si à defensore percutiatur vel occidatur, defensorem de percussione & occisione non teneri, aquius est.

### XLII.

Et cum res sint quasi secundus hominis sanguis, & media ad vitam degendam necessaria, non inconcinnè hic queritur: an ut pro cuitione corporis & famæ, ita pro honorum & rerum nostrarum defensione & conservatione invadentem occidere possumus? ita communiter Dd. tradunt & legunt, scilicet quando rem nostram aliter retinere non possumus.

### XLIII.

Conscientiae tamen tutius esse quidam putant, rem nostram potius dimittere, quam eam retinendo hominem interficere. Quod nos cuiusq; conscientiae dijudicandum & liberum committimus.

### XLIV.

Parricidium, quod inter parentes & liberos committitur, licet in collaterali linea etiam locum habeat, ut videre est præcipue ex l. 1. ff. ad l. pomp. de paracidio: Pœnam tamen institutam, ut parricida virgis sanguineris verberatus culeo insugatur, & cum cane, gallo gallinaceo, viperâ, & simia, & in vicinum mare

mare vel amnem proiectatur; extra lineam rectam non esse ex-  
eendendam, autumamus.

XLV.

An a. hac lege & pœna teneatur pater? in dubium voca-  
tur, Affirm.

XLVI.

Licet autem in linea recta hæc pœna tantum locum habeat,  
non si collateralis, multò minus si extraneus occidat: tamen si  
collateralis vel etiam omnino extraneus mandavit tantum  
delictum committere, & quod eum hæc parricidij pœna teneri arbi-  
triamur.

XLVII.

Et generaliter pœna parricidij ob criminis atrocitatem non  
tantum illi plectuntur, qui illud ad miserunt, sed etiam qui ejus-  
dem conscijs & participes fuerunt, quamvis extranei fuerint.

XLVIII.

Id autem dissensionis plenum est, an mandans teneatur  
hæc pœna, si nesciat eum, cui mandavit, occisi vel occidendi esse  
filium? Negantibus calculum adiicimus.

XLIX.

Filiū quoque, qui ut patrem vel matrem extingueret &  
necaret, venenum emit & dedit, etiam si mors postea insecuta  
non fuerit, legis Pomp. animadversionem non effugere, opina-  
mur.

L.

Hinc apparet medicum pharmacopolam, chirurgum, vel  
quemcumq; alium liberis aut parentibus scienter & dolose, ad  
ejusmodi scelus committendum, venenum vel pecuniam, quæ  
venenum comparent, vel latrones constituant, suppeditantem,  
eodem cum ipsis parricidis supplicio esse affigendum.

LI.

Nullo autem supplicij genere, sed præmio & honore dignum  
eum

eum esse afferimus; qui patrem vel filium ad opprimendam et  
delendam, siue prodendam patriam venientem e medio susti-  
lerit.

LII.

Et illum quoq[ue] nullo modo puniendam esse constat, qui ho-  
stes, trans fugas in legitimo bello, facinorosos ac maleficos iussi  
magistratus, vel imperij bannitos occiderit.

LIII.

Gravissima autem hinc pullular disputatio: utrum filius  
patrem bannitum vel proscriptum impunè interficere queat?  
nos in clementiora negantium castra transeundum putamus.

LIV.

Et tandem parricidij criminis vindicando nullam temporis  
præscriptionem obstat, concludendo asseveramus.



## Coronides & parerga.

Inquisitio de homicidio vel alio crimine licet  
prohibita sit, & fieri non debeat, non præce-  
dentibus indicijs vel fama: si tamen Iudex de fa-  
cto, parte non opponente, procedat, processum  
valere, verius putamus.

II.

Confessum homicidium, si non constet de  
corpo occiso, puniendum non esse, rectius & æ-  
quius arbitramur.

Imo

*III.*

Imò etsi constet de corpore delicti , & reus factatur se occidisse defendendo tamen, aliis probationibus non existentibus, quod ordinariā legis Cornel. pœnā non sit adficiendus, asseverare non dubitamus.

*IV.*

Interdictum recuperandæ cum petitorio iudicio cumulari posse, à jure non est dissonum.

*V.*

Privilegium dotis in prælatione creditorum magis attendi, quam antiquitatem expressæ hypothecæ, juris licet ambigui, verioris tamen esse censemus.

*VI.*

Ius luendi pignoris præscriptione 30. annorum non amitti in Camera Imperiali etiam approbatum dicitur.





Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/  
rosdok/ppn72831908X/phys\\_0015](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn72831908X/phys_0015)

DFG



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn72831908X/phys\\_0016](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn72831908X/phys_0016)

DFG

eum esse afferimus; qui patrem vel filium delendam, siue prodendam patriam venierit.

### LII.

Et illum quoq[ue] nullo modo puniendum es-  
tis, transfugas in legitimo bello, facinorosos  
magistratus, vel imperij bannitos occiderit.

### LIII.

Gravissima autem hinc pullular disputa-  
patrem bannitum vel proscriptum impunè  
nos in clementiora negantium castra transeun-

### LIV.

Et tandem parricidiij criminis vindicanda  
prescriptionem obstat, concludendo afferat



## Coronides & pa-

Inquisitio de homicidio vel alio  
prohibita sit, & fieri non debeat,  
dentibus indicijs vel fama: si tamen  
etio, parte non opponente, proceda  
valere, verius putamus.

### II.

Confessum homicidium, si no  
corpo occiso, puniendum non esse  
quus arbitramur.

